

Letter 134: 1 March 1522, Strasbourg, Jacob Spiegel to Capito

The manuscript of this letter is in Paris, Bibl. SHPF, manuscript 756/1 (Collection Labouchère I, f. 155).

5 Salve, mi domine praeposite, ne enim te theologum appellem facit nimis longa ista tua mora et  
versatio in aula eius principis, qui totius Germaniae eruditorum in se concitavit odium. Scio te a  
plerisque male audire, quod oblitus dignitatis tuae, quam ex literis peperisti, tam ignobile  
praestas officium. Ego te rogo per immortalem Deum ut, quam primum possis, te extrices et ad  
10 tuos amicos huc advoles. Crede mihi, obviis ulniis excipiere. Quoties Brechterum nostrum adeo,  
toties queritur moram tuam. Rogatus ab utroque has ad te scribo: sunt et apud nos status te digni.  
Aderunt tibi amici ex voto et ego pro virili tibi. Non dignum putant, ut hoc aulico ministerio  
diutius tua tandem omnis pereat estimatio. Nescis, mi Capito, quae ego pro illo, cum discrimine  
capitis mei, dum ambiret Cardinalatum perfeceram; testes habeo locupletissimos, vel Carpensis  
15 litteras; quantum laboris et diligentiae in rebus eius et ecclesiarum suarum prestiterim semper,  
dicat Laurentius a cubiculis; quantum mihi incommodarim quod fidem secutus, meum  
marsupium admonet, tum primum expertus verum esse, *nolite confidere in principibus, in quibus  
non est salus*. Solantur me rusticae meae et barbarae litterae, quam tu habebis consolationem,  
eruditionis princeps, ubi ad illas tuas vere aureas literas redieris. Cura tamen, ut maiori cum  
20 gratia et premio abeas quam ego, qui non potui meum aes consequi, pro quo toties apud te ut  
intercederes laboravi. Sit iratus Iuppiter mihi, nolo mei causa ullum amplius ei verbum facias,  
sed vel semel, vel per amanuensem respondeas, si unquam ad tuos et ad veram dignitatem tuam  
respecturus es, quae est proxima alteri,<sup>1</sup> in urbe haud incelebri. Sciunt tui quantum te amem,  
quanti te faciam, etiam si hic plerique plus aequo Lutherani nominis et dogmatis studiosiores ad  
25 nomen tuum nescio quid, quos tibi per epistolam tutum non fuit indicare. Quamquam scio  
omnem indignationem in te conceptam mox abituram, ubi istae curiae valedixeris.

Si princeps tuus in me aequior fuisset, dedicassem illi commentarios meos in xii libros  
Austriados, qui belle procedunt et amicis literatis probantur, quam vere tu olim videbis a male  
laudato optime laudatus. Iam in decimum librum operor. Vale et sincere has meas accipe quem  
25 scis aperto semper fuisse corde. Raptim in aedibus Brechteri Argentinae, prima Martii anno  
Domini MDXXII.

---

<sup>1</sup> Corr. ms: alterae.